

DISPUTATIO JURIDICA

De celebri juris articulo

31.
Vol. 20 D. 34.
1629

QUANDO ET

IN QUIBUS CAUSIS NOBIS

METIPSIS JUS DICERE, ET

aliorum maleficia sine Judice propria
auctoritate vindicare possimus.

Quam

PRÆSIDE CHRISTO

SUB PRÆSIDIO

CONRADI CARPZOVII J. U. D.

Profess. publ. Curia Provincialis, Consistorii Ecclesia-
stici, Facultatis Juridicae Wittebergæ; & Electoralis,
per inferiorem Lusatiam, Judicii Assessoris.

Publicè ad disputandum proponit

CHRISTIANUS CARPZOVIVS

Coldicens. Misnicus,

die 22. Augusti

In auditorio Jctorum horis antemeridianis.

WITTEBERGÆ,

Typis AUGUSTI BORECK Acad. Typog.

ANNO MDCCXXIX.

DISPUTATIO JURIS
D. CAROLUS CARPZOVIVS
OVANDO ET

IN QVIBUS CASIBUS NOBIS
MERTISSI IUS DICERE ET

PRÆSIDI CHRISTO

CORADT CARPZOVIVS I. D.

CHRISTIANUS CARPZOVIVS
Goldicent Mancus

Christi Carpzoivius A & R

Typis Augusti Borck Acad. Typog.
anno 1702





IN NOMINE DOMINI NOSTRI

JESU CHRISTI.

THESIS. I.



Generale est, & generali lege à Valente,
Gratiano & Valentiniano Imperatoribus
decretum; ~~NE QUIS IN SUA CAU-
SA JUDICET, VEL JUS SIBI DI-
CAT~~: *l. unic. C. hoc tit.* quia iniquum est,
aliquem suæ rei Judicem fieri, ut JCtus

Ulpianus *in l. Julianus 17. ff. de judic. aut alicui in re pro-
pria sententiæ licentiam tribuere, ut Impp. ajunt d. l. unic.
C. hoc tit.*

II.

Simile huic & affine, quod Callistratus ex decreto
D. Marci refert, ut quis, ~~quod suum est aut deberi sibi
purer, non nisi per Judicem reposcat~~ *l. extat 13. ff. quod me-
tus caus gest. erit.*

III.

Idcirco enim Judiciorum vigor, Jurisq; publici tu-
tela in medio constituta Videtur, ne quisquam sibi ipsi
permittere valeat ultionem: ~~nec singulis est conceden-
dum, quod per Magistratum publicè possit fieri, ne occa-
sio sit majoris tumultus faciendi~~ *l. non est 176. ff. de R. 1.*

IV.

~~Nisi tamen necessitas cogat antevertere, & occurrere,
antequam ad Judicem aliquis eat,~~ Nam ideo placet prius

A 2

adeun-

adeundum esse Judicem, non ut quisquam privatus suum
amittat, sed ut id meliore & æquiore via consequatur.
Princ. Inst. de Action. & Dd. ibid. communiter.

V.

Quod si periculum erit, ne expectatō Judice vulnus
accipiat privatus, post quod serum sit auxilium Judicis,
est contra sententiam superioris juris, cogi quenquam id
remedium expectare. Melius enim est occurrere in tem-
pore, quàm post exitum vindicare, & melius intacta jura
nostra servari, quàm post vulneratam causam remedium
querere l. 1. & 2. C. quando lic. unicuiq. sine jud. se vindicar.

VI.

Sunt autem casus complures sub ista limitatione
comprehensi, quorum quidam principaliter nos & bona
nostra concernunt, quidam minus principaliter & saltem
per consequentiam.

VII.

Ex priori genere primùm occurrit casus valde nota-
bilis in **AGGRESSORE VIOLENTO**, quem in-
culpatæ tutelæ moderamine adhibito impunè repellere
licet omni jure. Et quidem jure divino Levit. 19. v. 18.
Matth. 22. vers. 39. ubi dicitur, diliges proximum tuum
sicut te ipsum: Ergo non minus nos ipsos quàm proxi-
mum diligere tenemur. Et quia jus naturale est ipsum
jus divinum *c. 1. dist. 1. Obrecht. in tract. de necess. defens. cap. 1.*
n. 17. Jus autem naturale permittit defensionem *l. 1. §. 4.*
rietes ff. si quadrup. paup. fec. dic. c. jus naturale dist. 1.

VIII.

Sic etiam Jure gentium permittitur *l. ut vim 3. ff. de 1.*
Illa enim defensio, quæ fit cum ratione & modera-
mine, & quæ societas humana conservatur, juris gentium
est.

Exapt.

pro Liographim
defensionis notis & 1.
l. ut vim 3. ff. de 1.
§. v. vi. vii. ff.

est. Jure civili itidem per l. scientiam 45. §. peult. ff. ad L. Aquil. Constit. Elect. Saxon. 11. part. 4. Etiam cum internicione aggressoris l. itaq; in pr. l. sed etsi 5. in pr. ff. ad L. Aquil. Si scil. periculum mortis aliter evitari nequeat §. injuria Inst. de L. Aquil. d. l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. eod. Gail. lib. 2. observ. 110. n. 13. & lib. 1. de pace publ. c. 16. n. 6. & 7. Gomez, var. resolut. tom. 3. c. 3. n. 20.

it. disp. in s. v.
Homicid. sigs p
mis. 9. xxvii.

IX.

Hæc defensio, cum fiat sine culpa defensoris vocatur inculpatae tutelæ: Alio nomine moderamen inculpatae tutelæ l. 1. C. unde vi c. significasti Extr. de homicid. propter formam, quam moderamen defensionis communicat, & in qua omnis defensio posita est: item defensio necessaria quia non tantum licita sed etiam necessaria est, Exod. 20. vers. 13. Matth. 19. vers. 18. ubi dicitur NON OCCIDES, jam nisi seipsum quis defendit, efficit, ut hæc lex in sua propria persona violetur Obrecht. in tract. de necess. defens. c. 1. n. 20. & seqq. Germanicè vocatur Notwehr fit enim ex necessitate & quasi coactè Harpr. in tract. criminal. ad §. item L. Cornelianum. 3. de publ. Judic. Peinlich Halsger. Ord. Welcher eine rechte Notwehr zu rettung seines Leibs und Lebens &c.

Homonymia.

XI.

Communitè autem Interpp. moderamen istud in tribus consistere tradunt; MODO, TEMPORE & CASSA Wesenb. Consil. 19. n. 57. Circa MODUM quæri solet; An paritas sive æqualitas armorum necessario exigatur? Negativa sententia verior videtur, quia aliàs insultatus, nisi æqualibus armis instructus esset, contra l. ut. vim 3. ff. de l. & l. vim vi repellere non posset, Forster. in disp. ad Instit. ult. part. 1. thes. 11. Schneiduv. ad §. 1. num. 15. Instit. de i. N. G. & C. Gomez. var. resolut. tom. 3. c. 3. n. 22. Donell. ad l. 1. C. unde vi n. 7. Obrecht. c. 10. n. 6. de necess. defens.

Quæritur si
defensio.

XI. Rur



XI.

Rursus; An primum aggressoris ictum expectare quis teneatur? itidem negativa verior placet l. quod est 3. §. 5. ff. de vi & vi armat. Peinlich Halsg. Ord. Carol. 5. art. 140. *ibi ist auch mit seiner gegenwehr bis er geschlagen wird/zu warten nicht schuldig.* Wesenb. Consil. 19. num. 15. & seqq. Harpr. tract. crim. de publ. Jud. §. item L. Cornel. n. 114. Gomez. var. resol. tom. 3. c. 3. n. 22. Zoannet. in tract. defens. tripart. part. 2. n. 48.

XII.

Denique; An fugere vel retrocedere teneatur qui e-
jusmodi vim sibi imminere intelligit? In dubio fama &
vitæ discrimine constitutus non tenetur, *l. si quis percussor-
rem 3. C. ad L. Cornel. de Sicar.* nondum constitutus ad fu-
gam tenetur, non quidem ex jure nostro civili, sed ex Ca-
rol. V. Peinl. Halsg. Ordn. art. 140. & 142. *ibi vnd der tünd-
tigte kan süglich ohne sehrlichkeit oder verletzung seines Leibes/
Lebens/Ehr vnd guten Leumuths nicht entweichen/der mag & c.
Zoannett. in tract. defens. tripart. part. 2. n. 24. & seqq. Wesenb.
Consil. 19. num. 59 & seqq. Gomez. variar. resolut. tom. 3. c. 3.
n. 23. Obrecht. de necess. defens. cap. 10. num. 10. Gail. 2. Observ.
110. n. 16.*

XIII.

Nec inter plebejos & nobiles distinguendum est,
cum omni omnino homini diligentissime cavendum sit,
ne vitam alicui pro tantillo proprii honoris adimat, &
conscientiam suam sauciet, quæ res tenerrima est, & in
nobiliæ quæ ac plebejo, mala bestia *l. juri operam 1. §. ubi l.
omnes populi 9. ff. de l. & l.*

XIV.

Circa TEMPUS extra controversiam est, propul-
sationem debere fieri in continenti, hoc est, eo ipso tem-
pore,

pare, quò vitæ discrimen aggresso imminet, & non ex in-
tervallo, alioquin vindictæ similior est l. 3. §. 9. ibi sed hoc
confestim l. 17. ibi in ipso aggressu ff. de vi & vi armat. Is enim
qui ex intervallo infert, cogitato infert, non tam ad de-
fensionem, quàm ad ultionem: in continenti autem de-
fensio fieri dicitur, quando confestim *zue frischer that*/nullo
actu extraneo interveniente resistimus l. 1. C. quoad liceat
unic. se sin. jud. vind. Forster. disp. ult. part. 1. th. 10. Gail. libr. 1.
de pac. publ. c. 16. n. 17.

XV.

Quod deniq; ad CAUSAM attinet, quemadmo-
dum in delictis communiter principium potius, quàm fi-
nis & exitus spectatur, ita eadem consideratio ad distin-
guendum inter homicidium necessarium & minus neces-
sarium adhibenda est. Causa igitur legitima consistit in
violentiæ offensionis propulsatione non ulciscendi sed de-
fendendi animo, nam defensio concessa, at ultio seu vin-
dicta jure prohibita est, l. scientiam 45. §. qui cum aliter ff. ad
L. Aquil. c. signifi. arti 18. Extr. de homicid.

XVI.

Si itaque is, qui alterum interficit, ab initio sit au-
tor rixæ, licet postea in eadem rixa in discrimine vitæ
constituatur, beneficio tamen necessariæ defensionis uti
non potest. Cessante enim offensione & ipsa cessare debet
defensio, inter hæc enim duo mutus debet esse respectus,
ut sublato uno meritò tollatur & alterum. *Obrecht. de ne-*
cess. defens. c. 11. n. 26. textus est expressus in Carol. V. Peinl.
Halsg. Ord. art. 142. ibi oder meldet/ daß der entleibte nach ge-
thaner ersten benödigung gewichen / den der Todschläger auß
freyen Willen vnd vngendögter diuge nachfolget / vnd ihn
allererst in der nachfolgerschlagen hette. *Wesenb. d. Consil. 19.*
num. 60.

XVII.

Unde probationis hujus legitimæ defensionis duo sunt capita Gail. lib. 2. observ. 110. num. 14. Obrecht. de necess. defens. cap. 14. num. 45. Menoch. 2. arbitr. cas. 363. circa fin. Unum offensio violenta, sine qua defensio esse non potest. Alterum necessaria defensio; Sed cum necessaria defensio in prius illata vi injusta maximè fundata sit, die Nothwehr ist auff der ersten tödtlichen anfechtung oder benötigung gegründet. Imp. Carol. V. in Peinl. Halsg. Ord; art. 142. in pr. Igitur probata vi injusta prius illata, necessaria defensio etiam probata intelligitur d. art. 142. in verbis. So der verklagte Todtschleger seiner berühten nothwer halben ausfundig mache, dass er von dem entleibten angefochten were/ so ist die nothwer durch den verflag en Todtschläger aufgefüret. Add. l. 2. §. 3. C. ad. L. Cornel. de sicar. Wesenb. consil. 9. n. 16.

XVIII.

Defensionis legitimæ probatae effectus est, ut Reus simpliciter absolvendus veniat, nec ullam ob id factam calumniam metuere debebat, quoniam defensor in nullo peccare videtur l. scientiam 45. §. p. null. ff. ad L. Aquil. Constit. Elect. Saxon. II. part. 4. Gail. lib. 2. observ. 110. n. 13. §. lib. 1. de pac. publ. c. 16. n. 6. §. 7.

XIX.

Quod si verò appareat Reum defensionem legitimam excessisse, impunè id fecisse ipsi non permittitur, non autem ordinaria L. Cornelie de Sicar. poena, sed arbitrio Judicis extra ordinem punitur l. si adulterium 38. §. Imperator 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 52. §. 1. ff. ad L. Aquil. l. qui cum major 14. §. si libertus 6. ff. de bon. libert. Peintlich Halsg. Ord. Carol. V. art. 140. §. 142. v. v. f. Demlich hier ist zu merck- en. Gail. 2. obs. 110. n. 15. §. lib. 1. de pac. publ. c. 16. num. 9. Gomez. var. resol. tom. 3. c. 3. n. 24. Menoch. l. 2. arb. jud. q. cas. 278. per tot.

22. De

XX.

De Jure Saxonico excedens punitur vel caesione vir-
garum, vel amputatione manus, & tunc non tenetur ad
Werigeldum, vel punitur solâ relegatione, & tunc con-
demnatur etiam in Werigeldum interemti propinquis
solvendum, das als dann das Wehrgelt auch den Freunden
mit zugesprochen werden müge. Elector. August. 4. Const. 11.
ubi Daniel Moller.

XXI.

Quod si deniquè necessariam defensionem quis alle-
get, sed planè nihil probet, veritatis eruendæ gratiâ tortu-
ra subijciendus est. August. Elector. Sax. const. 8. part. 4. &
ibi Daniel Moller. n. 3. & seq.

XXII.

Vitæ & sanguini nostro proximè succedit FAMA &
EXLSTIMATIO nostra, quæ ob id alter sanguis esse di-
citur, & fama atq; vita paribus passibus ambulant, ac non
minor est infamiæ timor, quàm mortis, ideoq; crudelis
est, qui famam negligit, rem inestimabilem, cui quilibet
inservire debet l. 8. §. 2. ff. quod metus caus. Elect. August. in
Const. 42. part. 4. ibi. Es haben ehrliche Leute allewege das Le-
ben vnd die Ehre gleich geachtet / vnd die verletzung oder ver-
leumdung an Ehren höher vnd beschwerlicher gehalten dann
Leibs beschädigung.

XXIII.

Quemadmodum igitur vim vi repellere, ita illatam
injuriam retorquere licet: & quemadmodum ibi L. Cor-
nelia de Sicariis locum non habet, ita nec hîc injuriam
actio locum invenit. l. quæ omnia 25. vers. nisi forte purgare
& vers. seq. ff. de procurat. l. qui cum major 14. §. si libertus 6. ff.
de bonis libert. l. ut vim 3. ff. de l. & l. Jason in d. l. 3. n. 36. Gail.
B
libr. 2.

libr. 2. observ. 100. n. 1. & seqq. Schrad. de feud. part. 9. cap. 4.
num. 114. Nicol. Borr. decis. 169. num. 1. & seq.

XXIV.

Causa retorsio
Rursus autem considerandum est, ex qua CAUSA, ~~QVOMODO & QVANDO~~ ejusmodi retorsio fieri possit & debeat. Circa CAUSAM attendendum, ne pro injurioso arripiatur, quod revera tale non est; quia ~~non omne, quod injuriâ fit, ad presentem quaestionem, pertinet, sed illa tantum injuria, qua animo injuriandi committitur~~ l. 3. §. 1. ff. h. t. l. 34. ff. de O & A. l. 3. 9. & 10. C. h. tit. Freventlicher / vorsehlicher vnd mutwilliger weise; ut Constitutio Electoralis loquitur Const. 64. part. 5.

XXV.

Nonnunquam enim abfuisse intelligitur animus injuriandi vel ex persona conditione, scil. furiosi aut doli non capacis l. 3. §. 1. ff. h. t. vel ex causa faciendi, quales tres sunt. 1. Casus inopinatus & invitus l. 4. ff. h. tit. l. 3. §. 3. ff. ad L. Aquil. 2. Faciendi necessitas sc. ex Magistratus officio l. 3. §. 1. 2. 3. & l. 33. ff. h. tit. vel informandi discipulum aut propinquum l. 15. §. 23. ff. h. tit. l. 13. & 17. C. ex quib. caus. infam. tot. tit. C. de emendat. propinq. 3. Voluntaria causa probabilis, veluti joci aut certandi l. 15. §. 23. l. 3. §. 3. ff. h. tit.

XXVI.

Moderate
Circa MODUM diligenter cautio adhibenda est. ne relatio illatione gravior sit, igitur in suis terminis retorsio consistat, & ulterius non progrediatur Harpp. in §. hac actio 12. Inst. de injur. num. 209. vers. verum etiam cum moderamine. Jacob. Schult. in addit. ad Modest. Pistor. quaest. 127. num. 46. part. 3.

27. Aliàs

XXVII.

Aliàs si modum excedit retorsio & compensatio injuriarum non valet, sed uterquè de injuria sibi illata agere debet. *Specul. lib. 1. part. 2. tit. de Accusator. num. 11. ibi, quid si te vocavi vers. dic contra. Modest. Pistor. Consil. 3. num. 34. Daniel. Moller. in comm. ad Constitut. Saxon. part. 4. Const. 42. num. 35. Panorm. in c. delicti 8. Extr. de except. num. 18. & in c. cum te Extr. de sent. & re judic. num. 25. Gail. lib. 2. observat. 100. num. 9. Schneidvv. in §. injuria 1. Inst. de injur. n. 12.*

XXVIII.

Multo minus autem propter verbalem injuriam à verbis ad verbera aut vulnera, & multo adhuc minus ad mortem progredi licet. *Ludolph. Schrad. tract. de feud. part. 9. c. 4. num. 129. Harpr. in §. hæc actio 12. Inst. de injur. n. 184. & seq. Nicol. Boer. decis. 169. n. 1. & seq. Vasq. lib. 1. Controvers. 12.*

XXIX.

Circa tempus observandum, retorsionem injuriæ ~~confestim & in continenti faciendam esse~~, *Gail. libr. 2. observ. 101. num. 5. Iacob. Schult. in addit. ad Modest Pistor. quest. 127. num. 39. part. 3. Wurmbser. lib. 1. Observ. tit 47. observ. 15. n. 8. Iacob. Menoch. consil. 107. n. 42.*

XXX.

Confestim tamen & in continenti injuriam retorquere etiam is intelligitur, qui injuria affectus absens & ignorans, ubi rescivit, quàm primum vel in præsentem ore, vel in absentem scripto convicium regerit: quod posterius per Notarium & testes expediri, & ei, qui convicium fecisse putatur, personaliter & extrajudicialiter insinuari solet. *Iohann. Harpr. in §. hæc actio 12. Inst. de Injur. n. 97. ibi, in continenti autem n. 98. & seq.*

B 2

31. Quæ-

XXXI.

Quæritur deniquè, an injuriam relatum iterum & quasi replicando retorquere liceat? Negativa verior videtur. *Jacob. Schult. in addit. Modest. Pistor. quest. 127. num. 44. & seq. part. 3. Hering. de Fidejuss. cap. 4. num 50. Harpr. in d. §. hac actio 12. Inst. de Injur. num. 219.*

XXXII.

Post Famam & Existimationem sequuntur **BONA & FORTUNE NOSTRÆ**, quæ itidem alter sanguis & vita hominum appellantur, & ipsarum defensionem licitam inter omnes constat teste *Obrecht. de necessar. defens. c. 8. n. 1. cum moderamine tamen inculpatae tutelæ l. 1. C. unde vi.* Nam pro tuendis rebus non æquè ac pro tuenda propria vita ac salute invasores interfici possunt, licet enim qui cum armis venit, armis in continenti possit repelli *l. prohibitum C. de iur. fisc. l. 3. §. eum igitur 9 ff. de vi & vi armat.* attamen impunè occidi nequit. Omnia enim jura, quæ cedem ob defensionem commissam probant, non de rerum sed corporis defensione loquuntur *l. sed etse 7. in pr. ff. ad L. Aquil. c. interfecisti Extr. de homicid.*

XXXIII.

Sed eo in casu ubi rerum defensio cum vitæ ac corporis periculo conjuncta est, etiam cum interneccione invasoris defensio mirimè denegatur *l. furem 9. ff. ad L. Corn. de Sicar. tunc enim principaliter personæ non rei gratia permittitur Zoan net. in tract. defens. tripart. p. 1. n. 36. cum seqq. Harpr. in tra et. crimin. ad §. item L. Cornelias. num. 172. & seq. de publ. jud. Fachin. lib. 1. Controv. c. 31. Obrecht. de necess. defens. c. 8. n. 16.*

XXXIV.

Hinc constat furem sive nocturnum, sive diurnum
non

non aliter impunè occidi posse, quàm si ei dominus sine
meru vel periculo vitæ parcere non potuit *l. furem. 9. ff. ad
L. Corn. de Sicar. l. 7. §. 1. ff. quod metus caus. Peinl. Halsger.
Ord. Car. V. art. 150. ibi So jemand einen bey Nächtlicher
weil gefährlicher weiß in seinen Hause findet vnd erschlegt. &c.
Harpr. in d. tract. criminal. ad §. item L. Cornel. 5. num. 182.
de publ. jud. Obrecht. de necess. defens. c. 8. num. 12. & seqq.*

XXXV.

Furem autem cum equo subrepto magnâ celeritate
fugientem, aut etiam equo proprio insidentem, & rem
alteri subtractam secum auferentem, arcu petere, & sagit-
ta globove tormentario transfigere & occidere impunè
neutiquam licet, per *l. si ex plagis 52. §. tabernarius 1. ff. ad L.
Aquil. Harpr. d. §. item L. Cornel. 5. tit. de publ. Judic. n. 182.
Obrecht. d. tract. c. 8. n. 13. & seqq.*

XXXVI.

Quæritur circa hæc dicta de defensione vitæ, fa-
mæ & bonorum propriorum an etiam extendenda sint ad
alios, ~~consanguineos, propinquos & amicos quosvis ex-
traneos~~ ? verior videtur illorum Interpp. opinio, qui non
tantum eum qui lubens volens talibus opem fert, si ad oc-
cisionem usq; aggressoris deveniatur, immunem esse exi-
stimant, sed etiam invitum ad defensionem ejusmodi jure
divino & humano obligari & adstringi. Divino quidem
jure *Prov. 24. v. 11, 12. Matth. 22. v. 39. Luc. 11. vers. 27. Di-
liges proximum tuum sicut te ipsum. Sicut igitur quis-
quis semeripsum defendere tenetur, ut supra dictum, ita
quoq; proximum, quem æquè ac nosmetipsos diligere
debemus, ratione naturalis cognationis inter homines.*
Quâ sicuti monemur, hominem homini insidiari nefas
esse *l. 3. ff. de Just. & Jur.* ita docemur, hominem benefi-

B;

cio

9
§. si in hoc vol
§. p. p. c. n.
homicid. c. v. i
17.

cio affici, hominis interesse, l. servus ea lege 7. in fin. ff. de
Serv. exportand. Treutl. Vol. 1. disp. 1. th. 4. lit. c.

XXXVII.

De jure verò civili & canonico itidem satis probatur
l. 1. §. 4. ff. Ad l. Corn. de sicar. l. isti quidem 7. §. ult. ff. quod
metus causa. l. 1. §. ult. l. 2. §. seqq. ff. de liber. causa. Peinlich.
Halsg. Ord. Carol. V. art. 150. §. item So einer zur rettung
eines andern c. fortitudo 5. c. non in referenda 7. caus. 23. quest. 3.
Prosper. Farinac. in sua pract. criminal. part. 4. tit. de homicidio
14. num. 267. Damhoud in pract. criminal. cap. 80. num. 1. §
seqq. Nicol. Boër. decis. 202. num. 13. Gomez. tom. 3. variar. re-
sol. cap. 3. num. 21. Dominic. Cardinal. Tuschus. tom. 2. practic.
Conclus. lit. d. Conclusion. 131. n. 1. §. seqq.

XXXVIII.

Sed hoc ita demum, si ~~citra periculum vitæ propriæ~~
quis hoc facere possit, cui sese alterius causa exponere re-
gulariter nemo tenetur. Id enim ~~quis alteri prestare te-~~
~~netur; quod sibi non nocet & alteri prodest, l. in summa 3.~~
§. item 5. vers. quanquam tamen ff. de aq. §. aqu. plur. arcend.
l. si pater 34. §. 1. ff. de donation. l. metum 9. §. 1. vers. sed licet
ff. quod met. caus. c. ex parte 47. Extr. de appellat. Charitas e-
nim à se ipsa incipit. Quo facit etiam illud, quod ex Mat-
th. 25. cap. adducitur: ubi virgines prudentes fatuis re-
spondent: Ne nobis & vobis deficiat. Zoannett. de necess.
defens. part. 1. n. 97. Obrecht. d. tract. c. 7. n. 39. Jacob. Aijrer.
tract. de homicid. p. 1. n. 250.

XXXIIX.

Præter hætenus enumeratos casus, sunt etiam alii, in
quibus ad mortem usq; alterius deveniri potest: utpote
virgini & honestæ matronæ, pro tuenda pudicitia sua,
violentum stupratorem, citra omnem poenæ metum occi-
dere

dere permittitur l. 1. §. item Divus 4. ff. ad l. Cornel. de sicar.
Peinlich. Halsg. Ord. Carol. V. art. 142. post print. vers. als
geschehen möchte / so einer cinem &c. quia etiam stuprum &
mors ad paria judicantur, & bonis stupri metus major,
quàm mortis esse debet l. isti quidem 8. §. quod si dederit 2. ff.
quod metus causa. Obrecht de necessar. defens. cap. 2. n. 1. Prosper.
Farinac. in sua pract. criminal. part. 4. tit. de homicid. 14. quest.
125. n. 44. Damhoud. in pract. criminal. c. 80. num. 21.

XL.

Sic Pater filiam, & maritus uxorem in adulterio de-
prehensam occidere potest, ut fusius hoc per limitationes
deducit Farinac. in sua pract. criminal. part. 3. quest. 121. n. 1.
& seqq. per tot. Damhoud. in pract. criminal. cap. 89. num. 23.
& seqq.

XLI.

Huc etiam pertinet, quod debitorem fugientem &
locum ferentem pecuniam, si deficit copia Judicis, pro-
pria auctoritate sistere, & ipsi quod debet, impunè aufer-
re potest creditor. l. ait prator. §. si debitorem ff. de his quæ in
fraud. creditor. Matth. Coler. de process. execut. part. 1. cap. 2.
num. 122. Gail. lib. 1. Observ. 48. num. 14. & lib. 2. Observ. 44.
num. 1. & seq. Angel. Aretin. in §. actio autem 1. Instit. de action.
num. 9.


XLII.

Idquè adeo verum est, ut procedat etiam in casu,
quando dies vel conditio solvendæ pecuniæ nondum exti-
tit ut creditor satis det de solvendo, adveniente termino,
vel conditione adimpleta l. quasitum 14. ff. de pignor. Schnei-
der. in §. actio 1. Inst. de action. num. 15. Matth. Coler. in pro-
cess. execut. part. 1. cap. 2. num. 124. Jason. in l. si ab arbitro ff.
qui satis d. cogunt. num. 7.

XLIII.

Et si debitor fugitivus resistit creditori eum capere
volenti, potest creditor eum vulnerare & occidere l. si ex
plagis 52. §. tabernarius 1. ff. ad l. Aquil. Iason in §. 1. Instit. de
action. num. 76. Gail. lib. 2. observ. 44. num. 3. & seq. Hicce
hac vice concludemus.

Soli Deo, à quo omnia, laus & Gloria.



*Præstantissimo Dn. Respondenti Iuris
Candidato dignissimo.*


CARPZOVI quoties Themidis conscendis ad ar-
Rectius ut JURIS consolidetur opus? (ces,
Num vacuis opus hoc tantum residebit in umbris?
Non sic; DOCTORIS præmia honora feres.
Gratulor ex animo, metam transcurrere, DEUSq;
Vires coelesti, quod precor, auctet ope.
Summa: tibi felix is sit conatus, & olim
Serviat hic Patriæ, Serviat atque DEO.

P.

M. Conradus Barthels Halber-
stadensis.

F I N I S.






Vb 17

ULB Halle


3


002 673 282



TA → OL







Farbkarte #13

B.I.G.

JURIDICA ^{31.}
articulo ^{6. Vol: 20 D. 34.}
 1629

DO ET ²⁷
 USIS NOBIS
 DICERE, ET
 Judice propria
 re possimus.

HRISTO
 IDIO
 PZOVII J. U. D.
 lis, Consistorii Ecclesia-
 ebergæ; & Electoralis,
 Judicii Assessoris.
um proponit
 CARPZOVIVS
 isnicus,
gusti
 is antemeridianis.

R G Æ,
 ck Acad. Typog.
 XXIX.

